



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 242. Num hermaphroditus est impotens contrahendi
Matrimonium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

morbi & defectu virium impeditus, retinet tamen potentiam ad illam, licet in actum exire nequeat. Addit tamen Castrop. quod si vi morbi hæc ipsa quoque potentia destructa esset (quod nunquam præsumitur) eo casu fore illum incapacem celebrandi matrimonii. Confirmantur hæc ex eo, quod tale matrimonium à moribundo contractum cum concubina tanquam verum vim habeat legitimandi prolem ante susceptam, ut contra Bald. in l. eam quam c. de fideicom. n. 27. astruunt Tiraquel. in l. si unquam. v. susceperit. n. 73. c. de revocand. donat. Covar. l. c. Cuch. l. c. n. 138. Sanch. l. 7. d. 206. num. 4. Castrop. n. 7. ubi etiam pluribus, quod hæc, utpote vera & absoluta legitimatio, vim habeat excludendi vocatum sub conditione, si institutus absque liberis legitimis decedat, quando non probatur animo fraudandi substitutum esse contractum matrimonium, pro quo citat Sanch. l. c. n. 7. & 8. & alios.

Quæst. 242. Num hermaphroditus sit impotens contrahendi matrimonium.

Resp. primò, hermaphroditus, hoc est, qui utroque sexu pollet, judicaturque vir vel femina juxta sexum prævalentem l. quaritur. ff. de statu hom. Dum ei constar, quo sexu prævaleat, secundum illum validè & licitè contrahere potest matrimonium, ita ut, si sexu virili prævaleat, possit ducere feminam, si sexu femineo, possit viro copulari. gl. in c. si testis. v. ad testimonium. Sanch. l. 7. d. 106. Gutt. c. 119. n. 1. Castrop. l. c. §. 5. Pirh. h. t. n. 3. si verò ei non constet, quo sexu prævaleat, spectata consuetudine, contrahere nequit matrimonium, quò prius à medicis exploretur, quis sexus prævaleat, & si hi sint dubii, concedi hermaphroditò electionem, secundum quem sexum contrahere velit, electione hac faciendâ coram Judice ecclesiastico, qui ab eo cautionem juratoriam accipere debeat, quòd nunquam altero sexu utetur; & sine qua diligentia præmissa, parochus tali matrimonio assistere non debeat, tradit Castrop. n. 5. citatis Sanch. d. 106. n. 6. Gutt. n. 2. Majolo. de irreg. l. 3. c. 25. n. 16.

2. Resp. secundò: Contrahere eum posse secundum sexum debiliorem negant Sanch. num. 5. Gutt. n. 1. Pirh. h. t. n. 3. E contra, si secundum sexum debiliorem est potens ad coitum, validè, & fortè etiam licitè, eum contrahere posse affirmant. Ponc. l. 7. de impedim. mat. c. 65. n. 8. Hurt. d. 22. diff. 10. n. 35. Castrop. n. 3. eò quòd licet ex sexu fortiore vir aut femina denominetur, absolutè tamen & simpliciter spectato illo sexu debiliore, si secundum illum habet potentiam coeundi, vir est aut mulier, adeoque jure naturæ secundum illum contrahere possit. Sed nec jure positivo invenitur irritum tale matrimonium, quin nec prohibitum, adeoque seclusa consuetudine, etiam licitum. Illud certum esse ait Castrop. num. 4. committere illum adulterium, si contracto secundum unum sexum matrimonio, utatur dein altero sexu, eò quòd nequeat alteri tradere corpus suum in duplîcis sexus usum.

Quæst. 243. Anigitur etiam impotentia perpetua coeundi irritet matrimonium acceptum pro quadam confederatione ad simultaneam cohabitationem obsequiorumque communicationem, & num dicta societas constituat verum matrimonium.

R. P. Lew. Jur. Can. Tomus IV.

Resp. ad primum: Negant hoc ipsum Sanch. l. 7. d. 97. à n. 5. Gutt. c. 114. à num. 1. Castrop. l. c. §. 6. n. 1. Argumento c. consultationi. c. laudabilem. h. t. quamvis iidem dicant istiusmodi matrimonium acceptum pro tali confederatione omnino dissuadendum ob periculum incontinentiæ, intellige quòd ad oscula, tactus & similia.

2. Resp. ad secundum: Nec jure ecclesiastico, nec jure naturæ talis confederatio impotentium coire est verum matrimonium. S. Bonavent. in 4. d. 34. a. 2. q. 1. Nav. c. 22. num. 60. Sanch. l. 7. d. 97. n. 2. referens plures Gutt. l. c. Vasq. p. 3. d. 125. c. 7. Castrop. n. 3. & alii apud illum contra Ponc. l. 7. de mat. c. 56. & alios, quibus favere videtur. D. Thom. in 4. d. 34. q. 1. a. 2. ad 4. & p. 3. q. 29. a. 2. matrimonium enim primò ac per se institutum ad honestam generis humani propagationem per animorum corporumque conjunctionem; impotentes autem ad coeundum non possunt sibi invicem tradere corporum suorum dominium ad dictam propagationem, etsi obligare se possint ad mutuam illam cohabitationem & mutuo obsequiorum delationem. Et licet dominium rei ab ejus usu distinguatur, nequit tamen tradi dominium, quin tradatur jus & potestas re illa utendi, tametsi ex alio capite contingat potestatem illam ligari & usum impediti at talem potestatem sibi invicem tradere nequeunt tales impotentes. Sed neque obstat c. consultationi & laudabilem; quin potius faciunt pro respons. quia ibi absque ulla distinctione matrimonii ad copulam, & matrimonii ad castè convivendum, deciditur stante impotentia, conjugem haberi non posse ut uxorem; uti etiam in motu proprio Sixti V. definiens impotentes ineptos esse ad contrahendum matrimonium.

Quæst. 244. An & qualiter impotentia perpetua respectiva sit impedimentum contrahendi matrimonii.

Resp. Esse impedimentum dirimens matrimonii contrahendi cum ea persona, respectu cujus est; idque sive proveniat ex natura, sive à maleficio. Sanch. l. c. d. 93. à n. 2. Gutt. c. 112. n. 19. Ponc. l. 7. c. 61. per tot. Laym. cit. c. 11. à n. 1. Castrop. l. c. §. 3. Pirh. h. t. n. 10. matrimonium, siquidem essentialiter continet obligationem, ut conjuges fiant una caro, quam obligationem subire nequeunt respectu illius personæ, cum qua copulam habere nequeunt, etsi ea respectu aliarum est eis possibilis; respicit enim matrimonium personam determinatam & individuatam; adeoque si respectu illius copula sit impossibilis, nihil juvat, quòd respectu aliarum sit possibilis. Et quidem de impotentia proveniente ex natura est textus expressus, in c. fraternitatis h. t. de proveniente ex maleficio probat textus, c. fin. 33. q. 1. & dari impotentiam perpetuam ex maleficio, verissimam sententiam ait Castrop. n. 3. citans D. Thom. in 4. d. 34. q. unic. a. 3. in corp. Sanch. d. 94. à n. 8. Gutt. c. 113. Ponc. l. c. c. 65. num. 6. Sc. contra quosdam cum gl. in cit. c. fin. & c. fraternitatis sentientes contrarium; eò quòd teste experientiâ reddi possit sic impotens ex maleficio conjux, ac si frigidus ex natura esset; quia maleficio non minus destrui potest potentia generativa, nullâ humanâ industriâ reparabilis, vel etiam si non destructa, ita tamen ligata & impedita maleficio esse potest, ut hoc impedimentum ordinariis Ecclesiæ exorcismis aliove modo licito tolli